

DEDICATIO AUTHORIS.

Admodum Reverendo, & Eximio Patri *P. Vito*
à Matre DEI Ordinis, Fratrum Beatissimæ DEI Genitricis,
semperque Virginis Mariæ de monte Carmelo, in Almâ Universitate Colo-
nienâ SS. Theologiæ Licentiato, Lectori emerito, & Provinciæ
Allemaniæ Inferioris Provinciali,

Ejusdemque Almæ Provinciæ Professis, respectivè Admo-
dum Reverendis, Eximijs, & Reverendis Patribus, Fautoribus, &
Confratribus meis Observandissimis.

Admodum Reverendi, Eximij, & Reverendi Patres, Fautores,
& Confratres Observandissimi.



Non inviti videbitis, minùs invidebitis, præsentem Decimarum
manipulum Sacratiss Admodùm Reverendarum, Eximiarum,
& Reverendarum Paternitatum Vestrarum manibus humili-
tèr me præsentare. Decimæ sunt sexcentis iam Titulis debita
Nominibus vestris, quibus præactas reddo, memor illius D.
Apostoli Pauli: *Reddite ergò omnibus debita*, ad Rom. 13. v. 7. Marianæ
sunt, quas in Carmelo vestro pro debito Sacerrimi Scapularis cultu per de-
cem annos collegi, dum è publico suggestu dixi, dictasque iam dico, dedico,
dedicatasque consecro; debita sunt à me Filio & Confratre Patri & Con-
fratribus, qui anno supra Millesimum Septingentesimum decimo Sacerrimo
Ordini vestro, licet indignus sub Admodum Reverendo & Eximio Patre
Germano à S. Ignatio tum Provinciali meritissimo p. m. affiliatus, has Con-
cionum Decimas in hunc foliorum fasciculum alligavi, ne folium fierent,
quod vento rapitur citra lolium ingratitude. Tenue quidem est munus-
culum, non dedignabimini tamen admittere, qui minima minimè contem-
psistis. Olim non semper magnæ, formosæque Dijs ceciderunt Victimæ,
nec rarò Majestati cuidam exigua immolata fuit liba, sic attestante Tibullo
Lib. 4. Panegy. ad Thessallam:

Parvæque Cœlestes placavit mica, nec illis
Semper in aurato Taurus cadit hostia cornu;
Hic quoque sit gratus parvus labor.

Sit gratum parvum hoc ingentis debiti Mnemosynon. Ego quoties inter
oblitteranda potiùs, quàm divulganda Scripta mea in recordationem Admo-
dum

D E D I C A T I O A U T H O R I S.

dum Reverendarum, Eximiarum, & Reverendarum Paternitatum vestrarum, novis iterum titulis novus debitor incidere, profecto monitor occurreret, qui me partium mearum, quibus Sacerrimo vestro Carmelo plusquam obstrictus sum, commonefaciet, atque censum certè novum exiget debitorum. Et quibus aliter has Decimas offerre debui, ductus & doctus ab ipsa naturâ? docet hæc aquas, licet origine, virtute, calore, colore, situ, saporeque dispares, in unum tamen Oceani latè patens gremium confluere, quod inde primum eruperint, docet & eadem Nationes omnes occultis ductibus, ut, quamvis vultibus, legibus, ingenijs, affectibus dissideant plurimum, in eo tamen conveniant universæ, quod bona sua refundant eum in sinum, unde primum esse profecta persuadentur: Hoc tamen cum discrimine, quod aquæ semetipsas Oceano reddant à sordibus depuratas, Nationes pleræque se retineant sibi, facultates & agros, armenta & prædia, servos & pecora in sui vicem substituant; Hinc alij primas messis sub falce albensis spicas cum Caino, alij primas agnorum in argenteo vellere delicias cum Abele, alij primos in masculo infante amores cum Annâ. Restat hinc mihi meminisse, licet offeram cum Caino spicas, cum Abele agnos, cum Noë pecudes, cum Abraham columbas, panem & vinum cum Melchisedech, cum Aarone thura, aurum cum Davide, nisi cor addidero, spicæ erunt spinæ, agni erunt indigni, pecudes immundæ, columbæ nigrescent in corvos, panis indurabitur in lapides, thus in picem, aurum in testam. Melioratur oblatum, cum cor simul immolatur. Non me faciam excordem, dum ita cordatus Decimas meas Marianas offero, Confratribus meis concors

CVM DeVoto & affectu Voto,

Ut vivatis perennitèr felices, sospites diutissimè, ut Bonorum omnium Remunerator DEUS Admodum Reverendis, Eximijs, & Reverendis Paternitatibus Vestris diuturnæ lucis usuram in sanos & canos annos provehat, nec ad metam ævi citò velit consistere, aut nomina emori, extingui gloriam unquam sinat. Quod longissimum voveo

Admodum Reverendarum, Eximiarum, & Reverendarum Paternitatum Vestrarum

Servus Obsequiosissimus & Confrater
Fidelissimus,

ALBERTUS PREZ.

APPRO.